Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis

Jonston, Jan

Amstelodami, 1661

Caput XL

urn:nbn:de:bsz:31-97032

Visual Library

CAPUT XL.
DE TESTUDINE.

TEſtudines apud Taprobanam ſunt tam ingentes, ut una centum tria pondo pependerit. *Scalig.* Plinius vero tantas eſſe ait, ut ſingularum ſuperficies habitabiles caſas integant: atque inter inſulas, rubri præcipue maris, navigent his cymbis. *Tradit Bicris Geographus in deſcriptione regionum & itinerum Africæ, hominem itineris tædio defatigatum, ſub veſperam eminens in deſerto ſaxum ne à venenatis animalibus infeſtaretur conſcendiſſe, qui ad lucem graviter dormiens, tribus ferè paſſuum millibus à quo reclinaverat loco traductus, intellexit quod ſubiiſſet ſaxum, teſtudinem fuiſſe, quæ interdiu firma, noctu rependo pabularetur, verum adeò lentè ut vix percipi poſſet.* Leo *African. l. 9.* In Cuba non raro in tantam molem excreſcunt, ut quinque viros teſta ſua ſuſtineant, & cum eis protepant. *de Laet Americæ l. 1. c. 9.* Marinis lingua nulla, nec dentes, roſtri acie comminuunt omnia. In Hiſpaniola, quo tempore genitalis furor eos exagitat, è mari prodeunt. Egeſta in profundam ſcrobem arena, ter & quater centum ova in ſcrobem demittunt. Genitali vulva jam exhauſta, remittunt arenæ tantum, quantum ad ova cooperienda ſufficiat, redeuntque ad marina paſcua, de ſobole nil ſollicitæ. Ad ſtatutos dies pullulat, uti è formicario, teſtudinum multitudo, ſolo calore Solis, ſine parentum adminiculo. *Martyr.* Ova ſunt anſerinorum magnitudine. Caput ei abſciſſum, non continuo moritur, ſed & videt, & ſi ante oculos ei manus obverſetur eos claudit; & paulo etiam propius ſi admoveas, mordet. *Ælian.* Inauditum antiquis teſtudinis genus, apud Turcas è longinquis regionibus allatum vidit *Bellonius*; cujus teſta rara eſt ac pellucida, chryſoliti colorem mentiens, ex qua Turcæ cultellorum manubria efformant, tanti pretii ut etiam clavis aureis exornare non dedignentur. Inſula ab

Iam-

Iambolo reperta in Oceano, verſus meridiem animalia producit, magnitudine quidem parva, ſed natura & ſanguinis virtute mirabilia. Corpore ſunt rotundo, ac teſtudinibus ſimili, duabus lineis per invicem per medium tranſverſis, in quarum cujuſlibet extremo ſit auris & oculus, ut quatuor oculis videant, totidemque audiant auribus. Vnicus venter abſque inteſtino, in quæ comeſta fluunt; pedes circum habent plures quibus in utramque partem ambulant. Sanguis mirabili aſſeritur virtute. Omne enim corpus conciſum dum ſpirat, hoc tinctum ſanguine cohæret. *Iohan. Boemus.* Colophonem huic capiti imponat fera in provincia Tlaſcalenſi in regno Mexicano, quam barbari *Teuchtlacozaulquin* vocant, deſcriptio, à Ximene prodita. Eſt fera, inquit iſte, atrociſſima, quatuor & interdum plures palmos longa, capite viperæ, ventre candido vergente ad fuſcum. dorſum ipſi pardum & penè nigrum, cum radiis quibuſdam fuſcis, quæ in ſpinam deſinunt. Ocyſſime ſe movet per rupes & præcipitia, tardius in plano. Quot annos ætatis attigerit, tot ſonabula poſteriori parti caudæ annata deprehenduntur, quæ inſtar vertebrarum dorſi, ſibi invicem ſuccedunt. Icti ab hoc ſerpente ſummo cum cruciatu, intra viginti & quatuor horas moriuntur. Totum enim corpus ipſis finditur in rimas. Irritatus ſonabula illa movet, & valdè tinnit. Barbari carnem illius in cibis uſurpant.

CAPUT XLI.

DE URSO.

IN extrema Arabiæ regione carnivori ſunt. *Strabo l. 16.* albi in Myſia; qui cum à venatoribus urgentur, halitum educunt; qui carnes putrefacit, & ſi propius acceſſerint, phlegma ore ejiciunt, quo vel ſuffocantur vel obcœcantur tam canes quam homines. *Ariſt. in mirabil.* Inſignis interdum magnitudinis. Quinque cubitorum in longitudine. Maximiliano ex Lithua-